



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 135. Manus S. Joannis Baptistæ Magno Rhodiorum Magistro a Bajazethe
dono data

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A. C. 1484.

credibili magnificentia extrui curavit. In iis pons est Tiberi impositus, urbi longe utilissimus, quem refici jussit, quique abrogato primi Conditoris Antonini nomine *pons Sixti* hodieque appellatur. Ipse etiam Platinae negotium dedit, ut vitas summorum Pontificum conscriberet, quem, ne Roma excederet, Vaticanae Bibliothecae praefecit; hanc vero ab vectis ex tota Europa libris, atque manuscriptorum codicibus ferme innumera locupletavit, certosque proventus assignavit, ut eadem coemptis semper recentioribus libris augetur.

§. CXXXV.

Manus S. Joannis Baptistae Magistri Rhodiorum Magistro a Bajazetha dono data.

Survius 29.
Aug. p. 224.

Bosius. to. 2.
l. 13. § 34.

Sub finem Pontificatus Sixti IV. Petrus Aluffonio magno Rhodiorum Magistro Bajazethes Turcarum Imperator S. Joannis Baptistae manum, quae in Thesauro Mahometis Patris sui asservabatur, dono dedit, ut sacro hoc munus religioni, qua Ordinis Magistrum in S. reliquias ferri noverat, satisfaceret, simulque ob Zizimum fideliter custoditum gratitudinis memoriæ testimonium testificaretur. Accepta sacra manu Aluffonius plurimis testimonio, maturoque rei examine plene

comprobatam habuit traditam antiquitus ^{Sæcul. XV.}
 relationem a Græcis Scriptoribus con- ^{A. C. 1484.}
 firmatam, vi cujus posteris relictum est,
 corpus S. Joannis Baptistæ post ejus
 mortem in Urbe Sebaste medium inter
 magnum Sacerdotem Heli, & Abdiam
 Prophetam fuisse sepultum: Sanctum vero
 Lucam Evangelistam cum quibusdam divi
 Præcursoris discipulis ad hanc urbem no-
 ctu pervenisse, sacrum ejus corpus clam
 tollendi animo: cum autem rei diffi-
 cultatem perpendifset, manum illius dex-
 teram, qua Christum Dominum Ba-
 ptismo ablisset velut nobilissimam san-
 cti hujus corporis partem abstulisse,
 eamque Antiochiam deportasse, ubi il-
 lam etiam reliquisse, ipse vero in Bithy-
 niam ad prædicandum Christi Evange-
 lium profectus dicebatur. Post hæc
 Christiani pretiosum hoc pignus Antio-
 chizæ asservarunt, & ad tertium sæculum
 publicis honoribus venerati sunt: cum
 autem Julianus Apostata cultum, memo-
 riamque S. Martyrum abolere cæpisset,
 fideles has Reliquias usque ad Impera-
 toris obitum sedulo absconditas tenuerunt.

Ubi vero Justinianus, Princeps reli-
 giosissimus templum S. Sophiæ, atque
 Ecclesiam S. Joannis, cui a Petra nomen,
 Constantinopoli extrui curasset, ut u-
 triusque Ecclesiæ consecrationis solemnia

M 5 augu-

Sæcul. XV. augustiori pompa decoraret, ex omnibus
 A.C. 1484. Orientis partibus ceteris nobiliores reliquias
 afferri iussit, quas inter erant S. Joannis Baptistæ caput ab Edessa, ejusque
 manus ab Antiochia transmissa: ubi vero stupenda Antiochiæ patrabatur
 miracula, eorumque fama totum Orientem replebat, Constantinus Porphyrogenitus,
 qui Græcorum imperium seculo decimo tenebat, sacram hanc materiam
 sibi vendicandi ingens habuit desiderium, quo comperto quidam
 Ecclesiæ Diaconus, Jobus nomine, hunc thesaurum abstulit, eumque Imperatori
 dono dedit, qui eum in Ecclesia S. Joannis de Petra religiose deponi iussit, ubi
 etiam honorifice asservabatur, donec urbs Constantinopolitana a Mahometo
 capta esset. Hic istam cum ceteris S. reliquiis, quarum thecæ erant longe pretiosissimæ,
 ad Imperialem thesaurum transferri præcepit, inde vero a Bajæthe extractam
 magnus Rhodiorum Magister pro dono accepit, quam ipse exhaustis omnibus
 documentis in re tanti momenti necessariis, cuidam thecæ auro gemis
 que plurimis distinctæ includi, ac solemnium pompa in templo S. Joannis
 Rhodi reponi curavit.